

# Codice Diplomatico Longobardo I, 3

In Christi nomine. Constat dominus Alarchith glorioso dux de ista ciuitate Cremona uendidisset et tradidisset, ut uendidit et tradidit, honorabili et reuerendo uiro Walperth filius bone memorie Teotald miles nobilissimus custus Sancte Marie Nouae de Cremona et eiusdem Sancte Marie primus presbiterus casa una tota in plano, cum salis, curte, furno, putoeo et horto, que est de mane et prope eiusdem Sancte Marie; coerit ei ad fines: da mane uia que pergit ad portam de Beato Stephano, da meridie et da sera eiusdem Sancte Marie, da montes eiusdem Walperth; et est area de ipsa casa tam de sub ipsis edificiis quam curte et horto, sicut modo designata et terminata est, per longitudinem in mane et sera pedes legi optimos triginta, et pro transuerso in meridie et montes pedes legi optimos uiginti de tabulis legi optimis; et est ipsa casa cum curte et horto infra ipsas coherencias pertica una et tabula una. ideoque idem dominus Alarchith uir gloriosus dux de ista ciuitate Cremona confessus est, ut confitetur coram bonis hominibus, corum nomina in subter leguntur, se accepisset, ut accepit, ab eodem honorabili et reuerendo uiro Walperth primus presbiterus de ordine Sancte Marie et eiusdem Sancte Marie custus, in ciuitate noua, iustum et finitum precium in auri soldos quatuor. et ideo exinde in antea idem honorabilis et reuerentissimus Walperth faciat de ipsa casa cum omnibus adiacentiis suis quicquid illi paruerit. et idem dominus Alarchit glorioso dux de ista ciuitate Cremona sibi posuit penam auri soldos quatuordecim, si non conseruata teneat. Actum eadem ciuitate noua Cremone, in curte ducis, anno regni excellentissimi Rotharii regis quinto, prima die lune intrantis maii, inductione decima quarta. Alarchith dux de ista ciuitate noua Cremone in ac uindizione a me facta consensi et subscripsi. Signum + manus Lupo filius Adam, alias Lupo filius Petroni, Wolphrid, Roazo, Rachibert, Liprand et pluris alii qui ibi fuerunt testes. Wyriphridus notarius bergamenam hanc scripsi et de tera levatam compleui et dedit. + Leo diaconus sancte Cremonensis ecclesie authenticum huius cartae uindicionis et empacionis exemplaui, et sic inibi continebatur ut hic legitur, litera plus aut minus.